

bent : Cianus bona ab eo venia missus Venetias venit : Popilienses remiges, qui huic erant ministerio addicti, venientem illum Bucentauro exceperunt : Olivolensis Antistes, bonaque pars civitatis officii gratia obviam prodire. Ipse candido cereo, quem inter prima insignia ab Alexandro quum Venetiis esset, dono acceperat, umbella, tubis, vexillo prælatis (quæ omnia ipse & qui summum Venetiis magistratum gesturi erant, perpetuo habenda acceperant) inter multas congratulationes est urbem ingressus. Hæc sunt quæ a domesticis & externis scriptoribus de inclyta Venetorum victoria adversus Othoniem Fæderici filium accepi : de qua ne aliquo modo scribere dubitarem, præter alia multa, quæ quantumvis amplam arguere possunt victoriam, illud quoque me vehementer admonuit, quod Veneti illi, qui multis retro annis fuere, rem omnem, ut gesta est, in publicum referendam censuere. Tota ipsius belli series figurata est in ea parte fori, ubi octavo quoque die ad creandos Magistratus comitia habentur. Cianus, Republica sæliciter administrata, quum jam senio confectus esset, adversaque valetudine laborare cœpisset, ad Georgii fanum translatus paucissimis diebus, anno, ut quidam tradunt, sui Ducatus octavo, ut alii, septimo vita decessit. Multa & ampla prædia circa Divi Marci aream publice legavit : quædam alia ad Juliani ædem, mercatoria via, iis qui eo, ubi sepultus erat, loco divinis rebus operantur. Hujus quoque opus esse affirmant, splendidum Auræ ædis apparatus : de qua eo nunc brevius scribam, quo magis jam liber hic ac magis ad exitum spectare cœpit. Est itaque templum ipsum non tam magnitudine & vastitate sua, ut pleraque alia, quam opulentia insignie. Ejus effigies absolutæ crucis videtur mihi imitari speciem, cujus anguli in altissimas consurgunt testudines : quarum fastigia, ut reliqua templi facies, plumbeis tegulis operta, ad centum viginti stadia ex alto ad urbem navigantibus inter eminentissima urbis ædificia occurrunt : superbissimi ad id fornices, mira inter

1177  
Venetias  
redit.

1178  
Ciani mors  
& Legata.

Auræ ædes  
describitur.